Nobilissimo, doctissimoque Viro
D. Constantino Hugenio
Caspar Barlaeus S. P. D.

Hactenus cum viris mihi negotium fuit, doctissime Hugeni, iisque quibus λάσιον ἦτορ ἐστ' ἐν στήθεσι. nunc etiam foeminae, virginesque me lacessunt et ad litterarum certamen provocant, in quo vinci inglorium est, vincere non minus. Est Ultrajecti virgo rari exempli, Anna Maria Schuurmans, non solum Romana quod praenomen, nomen et agnomen habeat, verum etiam, quod Romano ore loquatur. Pingit, scribit, versificatur, Graeca legit ac intelligit. Nescio an talem designet ~~[illegible]~~ Juvenalis noster:
Malo Venusinam, quam te Cornelia mater &c.
Eam aliquot retro diebus hisce versiculis, velut ex abrupto, affatus fui:

Nobilis, docta, castaque Virgo,

Quae tibi vita parens generis? num docta Batavis
Te genuit Carmenta modis? titulosque virorum,
Doctrinaeque decus debet natura puellae?
Scandis Apollineos colles virguncula. prisca
Excidimus iam laude viri. Vilescimus ultra,
Foeminaque ingenio nostros transcendis honores.
Mirabor magis? an rerum portenta dolebo?
Num dicam peccasse Jovem? vel mascula miris
Invertit simulachra modis? Cornelia nobis
Altera, et Arctoo melior sub sidere Sappho
Nascitur, atque novam protrudit Pallada terris
Juppiter, et veteres mulier scrutatur Athenas.
Non Latium, non Roma satis. non sufficit uno
Ore loqui. minor est simplex facundia votis
Virginis. Argolicas etiam, pro numina, voces
Anna legit, sociatque suum cum Cecrope Belgam.
Propert. lib. 2. Si mirum antiqua committi scripta Corinnae,
Haec etiam, quod scribat, habet. Si conscia rerum

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/484

Prodidit exactis Manto sua carmina seclis,
Egregiumque aliquid grandaevae scripsere Sibyllae,
Et Mariae manus ista potest. Sociata marito
Lucani uxor Polla fuit, invitique sui commenta poetae;
Nec minus illa viri studiis succurrere posset,
In socios admissa thoros. quid Belgica iactas
Belligerasque rates, et magno Principe fultas
Imperii crescentis opes? quid dedita famae
Praelia? barbaricis oneratas mercibus alnos?
Totque novis passim laxatas moenibus urbes?
Hic maiora stupe. rarum Battavia nomen
Conficit una tibi. praestat facunda virago
Tot titulis, fastusque tuos virtutibus antit.
Nec precium iam sexus habet. cum virgine, docti,
Communes animos geritis. vilissima nostri
Portio nostra manet. solis discernimur, ossi,
Corporibus, geniumque viris confundit et artem,
Et qua nos sapimus Vir dici parte meretur.
Quid dignum te Virgo loquar? veneranda pudori
Assurgit doctrina tuo. castissima mores
Vita probat. doctam submissa modestia mentem
Flectit, et ingenuos decorat reverentia vultus.
Quis thalamos, formosa, tuos conscendet amator?
Ridebis cui sponsa viro? cui nupta marito?
In Batavis si Phoebus amet, te coniuge Daphnen
Negligat, et tali cupiat se iungere Divae.
Dos tua tot fuerint artes, prudentia, virtus,
Dos tua tot fuerint linguae, tua gratia, candor,
Simplicitas, et quicquid amant sine fraude Camoenae.
Anna, fatebor enim, non me tua nomina tantum
Afficiunt, vatemque trahunt. sed quicquid in ista
Virginitate queat summum flexisse Tonantem,

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/484

Suspicimus, Musisque placens me tangit honestas.
Scribimus haec, loquimurque tibi. Si dicere coram
Cogerer, haererent forsan suspensa per ora
Verba, nec ad solitas fluerent mea carmina leges.
Sin minus ista placent, et si magis oscula vester
Sexus amat, nos illa domi debere putabis.
Invenies alium, si te sic fastidit Alexis.

Et haec quidem ad Annam. Fratrem etiam habet virum doctissimum Johannem Godscalcum à Schuurmans. Is versus hosce Gallicos in Sylvam ducis conscriptos ad me misit. Rescripsi his verbis: (nec enim volo videri prorsus non intelligere). Versus tuos Gallicos legi, hoc uno nomine mihi gratos, quod non sint Gallici. Admisces siquidem Belgicam gravitatem, prout iam Belgicae vocem usurpamus, et Gallicismo te eximis, dum rerum maiestatem verbis adaequas, quod Gallis plerisque est impossibile, si illum du Bartas, paucissimosque excipias. Nolim tamen hic multum iudicio meo te stare, cum Gallicos lepores vix extremis labris gustaverim, concoxerim nunquam &c. Si ita visum tibi versus illos serva, desidero scire an ad palatum tuum sint.
Vale vir clarissime, et fac habeam quae ad epistolam rescripsisti. Addo versus Bonifacii mei scriptos ad Nobilem Barlaeum, publicumque si Diis placet professorem. Hoc cura, ne aureis illi versus tabellariorum incuria intercidant. Num tibi videntur cedro digna loquuti. redeant ad me per D. Brosterhuysium.
Lugd. Bat. VI Id. Jan. CIↃIↃCXXX.

Memini me ad A. T. misisse iam in [illegible] vice, antequam ad castra abires, Propempticon ad N. virum Foppium ab Aitzema, Carmen hexametrum, cuius cum nullum sit apud me apographum, rogo chartas tuas excutias, si forte ad parentem suum redire possit. aliorum scribendum mihi erit Hamburgum. Rogat typographus ut poemata mea hoc anno conscripta uno libello iuncta edam. Quod si aberravit, nolim te esse sollicitum.

Nobilissimo, clarissimoque
viro. D. Constantino
Hugenio Ill. Principi
à secretis

Hagam.

[illegible]

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 41
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/484